



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Corollarivm II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

RATIONE AD EVCHARISTIAM SERMO

COROLLARIUM I.

Si Apostolus per ea uerba uellet nos probari a nobis, usque dum digni fieremus, prorsus ad impossibile nos obligasset, & omnes hoies, etiam sanctos comunione priuasset, Sibi denique ipse in pluribus locis contradixisset, ubi clamat, omnes esse peccatores, & sola fide iustificandos. Oportet enim accessurum ad sacramentum esse certissimum, se sine omni peccato mortali esse, si non uelit iudicium sumere. At impossibile est ut ex se & suis uiribus certus fiat, iuxta illud, Delicta quis intelligit? Et illud Hieremiae, Prauum & inscrutabile est cor hominis, quis scrutabitur illud? Ego dominus scrutans renes & corda. Relinquitur itaque certitudo illa, stet super firmam infallibilemque petram, id est, CHRISTVM, & uerbum eius.

COROLLARIUM II.

Quare uera & solida probatio est, si te inuenieris inanem quidem & sine pondere salutis & iustitiae, onustum uero ac laborantem in multis malisque cupiditatibus, Quibus inuentis anhelus sitias gratiam & misericordiam, easque non dubites te te consecuturum. Sic beatus Gregorius reprehendens Petrum quod dominum iussisset exire a se, quia peccator esset, ait, Si te peccatorem agnoscis, non oportet repellere dominum a te sed multo magis inuitare. Et beatus Ambrosius, quia quotidie pecco, necesse habeo quotidie comunicare. Et quidam patrum consuluit, ne facile quis se abstineret a comunione, ne forte simul & longe fiat a CHRISTO. Non enim uenenum nobis dedisse ac reliquisse timendus est, Qui nouissimum ac maximum charitatis, quam ad peccatores gerit, memoriale, seipsum protestatur nobis reliquisse, dum institueret sacramentum illud.

Septimo, Si tandem adeo infirmus es in fide, ut nec illa te satis iuuent, aut non possis ea praestare, apprehende illud nouissimum infirmorum remedium, & permitte te sicut infantem gestari in ulnis & sinu matris ecclesiae, immo cum paralytico in lectulo, ut dominus fidem illorum saltem intueatur, quando tua

nulla est, id est, ut in fide uel uniuersalis ecclesiae, uel hois fi-
 delis tibi notí accedas, & audacter dicas dño IESV, Ecce
 domine mi IESV CHRISTE, doleo me tam infirmū, ut
 de tuo inestimabili in nos amore nihil aut tā purum praesum-
 mā. Ideo suscipe me in fide ecclesiae tuae, & illius aut illius ho-
 minis. Quicquid em̄ sit de me, necesse est o domine me obe-
 dire ecclesiae tuae, quae iubet ut accedā. In obedientia uenio
 saltem, si nihil aliud affero. Et crede firmiter, quod non indi-
 gnus accesseris. Non est dubiū quin obedientiā ecclesiae tan-
 q̄ sibi factā acceptet. Deinde nō potest fieri ut ecclesiae fides
 te permittat perire, non magis certe q̄ paruulū, qui alienae fi-
 dei merito baptizat & saluatur. Sic beatus Bernardus, cū
 aliqñ fratrem haberet nimis timidum & scrupulosum, ita tit
 nollet celebrare, ait ad eū, Vade mi frater, & celebra in fide
 mea. Iuit ille obediens, & sanatus est ab omni languore con-
 scientiae suae. Haec itaq̄ latius dixi, quia compertum habeo,
 multorū concionatorū terroribus eo redactas Christianorū
 cōscientias, ut sibi ex CHRISTO Mosen fecerint, ex gra-
 tia legem, ex remedio uenenū, dum CHRISTVM falso i-
 maginant exactorem magis q̄ largitorem, ultorem magis q̄
 propitiatorem, & in summa, dānatorem, nō saluatorem, ita
 ut iā nec nois sui quod est IESVS CHRISTVS, id est sa-
 lutaris & unctus, gloria sit in cordibus nostris nisi nudis syl-
 labis. Nō igitur oibus oportet terribiles iudicij minas inten-
 tare, sed duris & insensatis. Trepidis uero atq̄ scrupulosis,
 leuiores misericordiae promissiones sunt declarandae, quia a-
 lia medicina alijs morbis cōuenit. Octauo, Nec illud omit-
 tendū, imo maxime curandū, ut memoria passionis CHRI-
 STI nō omittatur. Quid em̄ prodest si digne prepareris, &
 nō impleas id, ad qd te preparasti. Nam praecipit dominus
 id sacramentū non nisi in memoriā sui celebrari, ideo omit-
 tendum est, si memoriā eius omittere uoles. Sic dixit, Haec
 quotiescunq̄ feceritis, in mei memoriā facietis. Et Paulus,

RATIONE AD EVCHARISTIAM SERMO:

Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibe-
tis, mortem domini annunciabitis donec ueniat. Inde enim
statuit ecclesia, ut missa sine euangelio non legatur. Hæc
memoria autem alium requirit sermonem, quia non minus
& ipsa in superstitiones, & literalem hypocrisim apud mul-
tos uersa, quam pleraq; alia sacratissima dona dei.

QVOMODO CHRISTI PASSIO SIT CONSYDERANDA.

Homini non est necessarium ut CHRISTVM
in ipsius passione deploret, sed magis seipsum in
CHRISTO. Nam passio CHRISTI (ut san-
ctus pater Augustinus dicit) non solum nobis ex-
emplum est, ut sequamur eius uestigia, & in nobis membra
terrena crucifigamus, sed etiam est sacramentū & mysteriū
CHRISTVM per suā temporalem & corporalem passio-
nem, nostrā spiritualem perpetuā passionem ueteris hoīs ui-
cisse & crucifixisse. Itaq; passionem CHRISTI utiliter uel
auditurus, uel lecturus, uel cōsyderaturus, talem concipias
necesse est, affectum, tanquam ipse eandem passionem in &
cū CHRISTO pateris. Ergo audiēs CHRISTVM fla-
gellatum uel percussum, consydera hoc significari te spiritu-
aliter flagellatum uel percussum. Sicut igitur tibi, si modo sa-
næ mentis homo es, dolet te spiritualiter a morte peccati &
spiritu maligno cruciari, ita dolet & quidem uehementius
dolet, id CHRISTO propter te in sua passione. Tu pateris
ex merito, CRHISTVS propter te, & innocenter, portās
in cruce nō sua, sed tua peccata. Ita confitebatur latro in cru-
ce passionem CHRISTI. Sic & disce ex corporali passio-
ne CHRISTI, cognitionem tuæ spiritualis passionis, & no-
titiā tuū ipsius. CHRISTVS in sua passione personam no-
strorum peccatorum suscepit, Ideo nos in cordibus nostris